



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Elchingum, olim Aichlingum à vicino quercetu, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

tionem, & in ejus locum ex Anhusio Abbas Martinus, qui fequitur.

17. *Martinus*, qui obiit secunda Junii anno Dominicæ incarnationis 1487.

18. *Joannes Cocus*, ex Blauburensi conventu assumptus, Abbas egregie doctus, resignavit anno 1499. Obiit anno 1517.

19. *Rudolphus Hamaxurgus*, in Würtembergensi ducatu natus, & ex Anhusio Brentiano assumptus, præfuit administrator 18. annis, & Abbas itidem octodecim: assumptus in administratorem anno 1499. in Abbatem vero anno 1517. Obiit anno Christi 1535. Fuit vir doctus, consilio vero, autoritate & prudentia omnibus circumsitæ provinciæ Principibus quemadmodum utilis, ita etiam charissimus, œconomus optimus.

20. *Guilelmus Fuchsus*, Dillingensis, è S. Crucis Donawerdeni cœnobio accitus, eligitur anno Christi 1536. Præfuit 10. annis laudabiliter & utiliter. Obiit anno 1546. in die Antonii Ratisbonæ, ubi in cœnobio S. Emerani sepultus est. Fuit egregius illustrator & exædicator sui monasterii. Post hujus obitum vacabat sedes per annum integrum, propter Germanici belli tumultus, propter quos secesserant ejus loci incolæ in tutiorem locum.

21. *Martinus Bucolinus*, ex Wertingo Zufemiæ vallis oppidulo natus, eligitur anno Christi 1547. nona Martij, anno ætatis suæ 28. Præest adhuc feliciter currente hoc Jubilæo, homo afflicta quidem valetudine, sed humanitate & probis moribus nemini sui ordinis secundus.

ELCHINGUM, olim Aichlingum à vicino quercetu, prædonum aliquando castrum, sed nunc magnificum instituti & ordinis Divi Benedicti cœnobium Augustanæ diceceseos, infra Ulmam, Sueviæ metropolim, ad sinistram descendenti Danubii in sublimi monte (ex quo omnis Ulma & multa circumiacentia oppida, videlicet Gunsburgum, Leipheimium, Weissenhorna, & alia videri possunt) amenissimo loco situm, fundatum est anno Domini 1128. à Conrado, Duce Saxonie, & ejus uxore, Dom-

Domina Lucia, Sueviæ Ducissa, Imperatoris Conradi III. sorore. Cumque paucis annis post hanc primam fundationem misero incendio vicissim perisset & penitus collapsum esset Aichlingense istud coenobium, ea vero ipsa ætate Albertus quidam, Sueviæ regulus, Comes de Ravenstein & Irtzenberg (cujus uxor Bertha, Comitissa de Ravenstein, Sancta habetur, eò quòd nivales anseres, ut vocant, ex hac tota provincia Danubiana funde Raventstein cur Sancta vocetur. Nivales anseres. Iter Hierosolymitanum. Dalsingenses Therna? Limes Episcopatum Augustani Constantiensis.

in expeditione, D. Bernbarði monitis suscepta, cum Conrado III. Imperatore & omnibus totius Imperii Principibus, Hierosolymam profectus, vovisset, ædificaturum sese in honorem Dei omnipotentis & Deiparæ Virginis gratitudinis ergò monasterium, si Dei bonitate & misericordia salvus rediret in patriam: factum est, ut, cum incolumis rediret & videret incendio vastatum hoc novum monasterium, cœperit è vestigio maximis sumptibus id ipsum restaurare: quod factum legitur anno Domini 1142. Hæc sunt ejus loci primordia, hæc initia. Est medio itinere inter Aichlingense coenobium & Ulmensem urbem pagus Dalsingen, in quo nobiles sunt Thernæ, in quibus magna hominum è longinquis locis etiam adventantium multitudo singulis annis lavare solet. Per eum pagum defuit in Danubium anonymus quidam rivulus, qui diocesin Augustanam à Constantiensis dirimit. Abbatum epus loci talis invenitur, etsi mancus, catalogus, quem tamen omittere nolui.

1. *Andreas* de Aichaim.
2. *Wilhelmus*. Post quem defunt plurimè Abbates, quorum & res & nomina interciderunt usq; ad Abbatem
3. *Conradum Klotzerum*, qui laudabiliter præfuisse dicitur annis viginti, & emigrasse ex hac vita anno Domini 1386. Post hunc sequuti sunt
4. *Ulricus*, nobilis vir de Lichtenstein, de quo nihil reperitur in fastos relatum.
5. *Jacobus Gosoldus* obiit anno Domini 1431.
6. *Fridericus Zwirnerus*, ex Berenstadio Ulmensis reipub. pago natus, eligitur in Elchingensem Abbatem anno Dñi 1431. Præfuit utilissime 34. annis. Obiit anno salutis 1465. Sub eo fulmine

Chronologia
 Monasterio
 in Germania
 S. III

mine exustum & vicissim instauratum est cœnobium, cui ipse prudentissima œconomia administratione plurimum profuit.

7. *Paulus Kastius*, patria Ulmenfis, eligitur vivente adhuc Friderico Abbate anno Domini 1461. Præfuit tam in spiritualibus quàm temporalibus monasterio suo prudentissime & utilissime annis 37. ac ita ei profuit, ut merito secundus fundator dici & celebrari debeat. Disciplina vero & egregiis œdificiis ita hunc locum illustravit, ut omnibus aliis Sueviæ cœnobiis admirationi & exemplo esset. Sub eius enim gubernatione reformatum est cœnobium ab Abbate Wiblingensi. Habuit diem conversionis Beati Pauli omnino fatalem, & in summa veneratione. Eo enim natus, eo in sacerdotem ordinatus, eo in Abbatem electus erat: eodem etiam ex hac vita sublatus est anno Domini 1498. Sepelitur in choro templi cum tali epitaphio:

Dies conversionis Pauli fatalis.

*Nobis, Paule, jaces divini muneris Abba
Kast, quo nullus erat castior, utilior.*

*Te dedit Ulma patrem, te sanctimoniam vitæ
Insignem celebrant mœnia, rura, pecus.*

8. *Joannes Kiechlinus*, è pago quodam Elchingensis monasterii tenuis fortunæ parentibus natus, vir simplex & honestus, eligitur in Abbatem anno Domini 1498. Præfuit utiliter annis uno & viginti. Reformavit cœnobia sui ordinis Ursingense, Uthenburihanum, Auhusium Brentianum, ac Neresheimium, missis è suo monasterio monachis, ad instaurandam regularis disciplinae observantiam idoneis. Resignavit anno 1519. Obiit postea anno 1521.

9. *Hieronymus Dux*, ex Elchingensi quodam pago natus, eligitur anno Domini 1519. Præfuit laudabiliter annis viginti duobus, vir devotus & religiosæ vitæ studiosissimus. Valedixit mortalium consuetudini anno Domini 1541. die 23. Martii. Habuit sua ætate in cœnobia perdoctum monachum, *Joannem Philereum*, patria Faucensem, musicum ac poetam non contemnendum, aliosq; multos patres & literis & vitæ bonitate insignes.

10. *Andreas Thierlinus*, ex Thettingo Brentianæ vallis pago oriundus, vir magni animi, prudens & eruditus, eligitur in Abbatem

Belli Germanici insitium.

batem anno Christi 1541. Præfuit annis sex. Sub hoc Abbate ^{Elchingum incendio deletum.} cepit bellum Germanicum anno Domini 1546. in quo monasterium ab Hispanis occupatum, & die S. Galli ab Ulmenibus incensum ac univcrsum penè deletum est cum templo ac omnibus ædificiis, in qua calamitate fecit monasterium jacturam ducentorum millium aureorum & insignis Bibliothecæ. Sub eodem Abbate Suevia ab Imp. Carolo V. subjugata est, & monachi cænobiiis suis restituti sunt. Is ipse Abbas Andreas cœpit reædificare combustum monasterium, quod egregie instaurasset, nisi morte præventus emigrasset ex hac luce 12. Septembrium anni 1547. Extant hæc & alia ipsius epigrammata, quæ virum doctum fuisse satis ostendunt. ^{Suevia subjugata.}

De prima fundatione Distichon:

*Saxonici generis princeps, clarissima Suxor,
L. superis dicant hæc loca cœnobio.*

De Secunda:

*Post M. G. post bis duo X. binos simul annos
Virginis à partu tale resurgit opus.*

In insignia Ravensteinensium Comitum.

*Quisquis ad ista pie dubitans aspexerit arma,
Ravenstein Comitum stemmatis esse sciat.*

Omnia templi ornamenta & monumenta perierunt, nihilq; mansit integrum, nisi hoc solum epitaphion, quod in honorem & memoriam clarissimæ familiæ adscribendum putavi. Anno Domini 1531. obiit nobilis ac strenuus vir, Wilhelmus Gifs à Guffenberg ad Glettum, Rom. Cæsareæ Majestatis, Electorum & principum laudatissimæ Ligæ Suevicæ Capitaneus.

11. *Thomas Clausius*, Weissenhornanus, natus annos 23. eligitur in Abbatem Elchingensem Gunspurgi propter pestem & bellicos tumultus, die quinta Octobrium anni 1547. Obiit vicefima secunda ejusdem mensis & anni peste è medio sublatus. Sepelitur honorifice in choro renascentis monasterii.

12. *Silvester Godefridus*, ex Weissenhorna, oppido Suevico (quod Dominis Fuggaris hodie caret) natus, eligitur apud Gunspurgum in die S. Elisabethæ viduæ anno 1547. ætatis suæ vicefimo

Chronologia
Monasterii
S. III

mo sexto. Juvenis procerus & doctus, qui monasterium in cineres redactum diligenter instaurare conatus, magnamq; ejus partem feliciter & egregie jam instauravit. Præest is adhuc corrente hoc Jubilæo, quo in ejus gratiam tale de hoc ipso Elchingensi cœnobio lusi epigramma:

*Saxonie princeps, Conradus, nobilis heros,
Extruxit primus magnis sumptibus adem:
In qua religio pietasq; vigeret, & ipsa
Florent sacra Aonidum monumenta sororum.
Addidit ipsa manus extremas Lucia, conjunx
Illustris Ducis & venerabilis & generosa.
Absumtam sed eam Vulcano vindice tandem
Pulchre instauravit Bertha cum conjuge chara
Illustris Comes Albertus, Rausteinus heros.
Ad terram sanctam Christi tumulumq; profectus,
Voverat ipse Diis ubi conductoribus aras
Se positurum altis, in eorum Regis honorem,
Si salvus patrias remearet victor ad oras.*

*Cæsaris hoc circa Friderici tempora factum est,
Cui sua ruffa dedit cognomen barba decorum.
Hanc ipsam in bello (quod nuper Teutonis ora
Te contra gessit, ter Maxime Carole Quinte)
Injectis misere Ulmenfis respublica flammis
Vastarat totam: reparavit at optimus Abbas,
Silvester Godfridus, amans Phœbi atq; sororum,
Quas habitare ferunt circa Parnassia templa
A Ethereo veteres flagrantis igne Poëtæ.*

*Tu quicumq; vides nostra hæc monumenta, Viator,
Fausta precare patri docto Abbatiq; verendo.*

Tantum habeo de Aichlingensi hoc cœnobio, cujus magnam partem communicavit mihi ejus loci Prior, vir doctus & humanissimus, Joannes Defenheimerus, ex Wifensteigo Comitum de Helfenstein oppido in Sueviæ confinibus sito, natus, qui annis jam quadraginta, totis in regularis disciplinæ observatione laboriose exantlatis, sexagenarius

Æternæ vitæ patriam suspirat amœnam.

EGL